

bet, ut determinans indifferentiam potentiae, et sic constituens in illa unicam determinatam rationem operandi, non vero quasi potentia præbeat partialem rationem determinatam, et aliam partialem habitus, sed potentia habet virtutem indifferentem, ipsa vero determinatio hujus indifferentiae est per habitum, et ita ad rationem specificam actus concurrat tota virtus potentiae, ut tamen determinata per habitum. Solum est differentia in præsentia: quod habitus luminis gloriæ non solum est determinans indifferentiam potentiae, sed etiam elevans, ideoque non continetur in virtute potentiae tamquam in radice activa, a qua oriatur, sed solum ut in potentia elevabili, et obedientiali, ideoque dicitur dare totam proportionem potentiae intellectivæ ad eliciendum illum actum, potentia autem nullam habet ex se, in habitibus vero naturalibus potentia radicaliter proportionate continet illos, non radicaliter obedientialiter seu elevabiliter.

XVI. His vero duobus principiis stantibus, scilicet quod vitalitas talis actus necessario requirit principium internum, et a natura utpote se movens, et similiter quod actus procedens ab illa potentia est unius speciei, et unicam rationem formalem habet non mixtam ex naturali, et supernaturali, quia hæc misceri non possunt in unam speciem cum sint diversi ordinis, non est quæstio de sola voce, sed maxime de re, videre quomodo hæc duo salvari debeant, et quomodo elevatio luminis gloriæ cum potentia naturali ita conjungatur, quod actus procedens ab utroque participet conditiones utriusque principii, scilicet vitalitatem ab uno, et supernaturalitatem ab alio, an videlicet hoc fiat utroque principio partialiter influente, et per suam propriam virtutem

conante, ita quod unumquodque in sua linea, et ordine habeat proximam, et proportionatam virtutem ad influendum videlicet intellectus per suam nativam virtutem suam partialem influxum apponens, lumen autem supernaturale suum, an vero lumen supernaturale ipsummet influxum partialem potentiae elevatum reddat, et supernaturalizatum, ita quod non sit a potentia nisi ut subordinata, et elevata a lumine, de se autem solum habeat capacitatem ut posito lumine operetur, et influat per illud. Et est eadem fere difficultas in voluntate, quoad libertatem, qua influit in actus supernaturales; et in universum in omnibus actibus supernaturalibus, an sint partim a libero arbitrio, partim a gratia, ita quod liberum arbitrium aliquam virtutem proximam, et proportionatam habeat de se ad influendum in illum actum supernaturalem aliquam partem, et ad reliquum a gratia adjuvetur seu perficiatur. Omnes istæ difficultates sunt de re non de voce, et ab ista difficultate, quam nunc tractamus radicem habent.

XVII. Ergo pro parte influxus partialis ex parte potentiae vitalis, vel liberæ stat pater Vazquez hic disp. XLV, c. III; Arrubal disp. XIX, cap. VI et alii multi, qui illos sequuntur ex illa schola, et qui ponunt potentiam obedientialem activam, et partialiter influentem, de quo videri potest Suarez supra citatus, et lib. VI de grat. cap. V et Henrice hic disp. XLVI, cap. II et auctor Laureæ Salamantinae, certam. VI scholast. c. IV, VII et X et alii multi.

XVIII. Nos vero dicimus ista duo principia scilicet potentiam, et lumen gloriæ ita se habere in ordine ad actum visionis eliciendum, quod tota ratio proxime proportionans virtutem potentiae ad operandum etiam suum partialem influxum habet a lumine gloriæ, non vero ante

ipsum lumen gloriæ intelligitur in potentia aliqua virtus proxima, et immediata ad influendum in actum illum visionis, cui detur complementum, et partialitas aliqua per lumen. Et in primis videtur sententia opposita etiam urgeri a suo fundamento, nam cum constituat duplicem influxum partialem ortum a duplici virtute proxima, potentiae et luminis de illo partiali influxu luminis inquiri, an ita sit influxus supernaturalis, quod partialiter sumptus non sit vitalis, an vero etiam ut partialiter sumptus vitalis sit. Si partialiter sumptus ut est a lumine, et supernaturalitatem imbibit est vitalis, ergo oportet non reducere ista duo ad duas partialitates, sed ad unicam indivisibilem rationem, si quidem etiam sub illa partialitate, qua est e lumine gloriæ includit vitalitatem, et sic est a potentia, et ab anima. Si vero ut est a lumine gloriæ vitalis non est sequitur, quod in quantum supernaturalis non sit actus vitæ, atque adeo nec vitæ æternæ et consequenter ea formalitate, qua homo beatificatur, scilicet supernaturalitate visionis non sit ab anima, quia in quantum talis, vitalis non est, et sic non verificatur quod formaliter vivit vitæ æterna et supernaturali, anima in illa visione, si quidem quidquid vitalitas est tantum reducitur in vim naturalem activam vitæ naturalis, et propriæ, quæ non est vitæ æterna, quidquid autem supernaturalitatis est, solum a lumine, et vitale non est.

XIX. Nostra ergo sententia desumitur ex D. Thoma in III contra gen. c. LIII, ubi inquit: « Quod contingit virtutem alicujus fortificari per novæ formæ appositionem sicut diaphani virtus augetur ad hoc, ut possit illuminare per hoc quod fit lucidum actu per formam lucis receptam in ipso de novo, et hoc quidem virtutis augmentum requiri-

tur ad alterius speciei operationem consequendam. » Et hoc modo dicit se habere lumen gloriæ respectu intellectus creati ad videndum Deum. Sicut ergo ad illuminandum tota ratio, et virtus est a lumine non a diaphaneitate, licet requirat ad illuminandum diaphaneitatem, ita secundum D. Thomam tota ratio illius visionis quæ est quædam illuminatio, et operatio alterius speciei ab ea quam potest intellectus operari per se, debet reduci ad lumen gloriæ ut præbens totam rationem formalem hujus speciei, et non supponens aliud principium proxime proportionatum ad influendum in istam visionem etiam partialiter, sed proportionabile, et elevabile ut concurrat quidem, et agat elevationem illam recipiens, sed ut elevatum tantum, non partim ut elevatum, partim ut naturale.

XX. Ratio autem ex dictis sumitur tam ex parte potentiae, quam ex parte ipsius visionis. Ex parte quidem potentiae, quia ex sua propria virtute naturali non potest intelligi partialiter influens in visionem, nisi sub aliqua ratione formali, sub qua attingat talem actum, ut ad se pertinentem. Vel ergo talis ratio formalis sub qua partialiter respicit illum actum est ordinis naturalis, vel supernaturalis. Si supernaturalis, non potest exire a virtute activa naturali potentiae, ut naturalis ordinis est, quia prout sic est ordinis inferioris, et improporionati ad id quod supernaturale est, et ordinis superioris, non potest autem ratio formalis inferior improporionata attingere effectum excedentem se, et superantem suas vires, quia si superat illas quomodo procedit ab illis, et continetur in illis? Omnis autem effectus continetur in sua causa secundum eam rationem, qua exit ab illa. Si vero est naturalis ordinis, et sub tali ratione ordinis



naturalis producit illum actum, ergo oportet quod in ipso actu reluceat aliquid ordinis naturalis, ratione cuius attingatur ab illa ratione formali. Hæc autem ratio ordinis naturalis vel est generica, vel specifica in ipsa visione. Generica esse non potest, quia actus ex specie sua supernaturalis, qualis est visio beata non confinetur suo genere naturali, sicut nec spirituale sub corporeo aut cœleste sub corruptibili, nec enim genus ordinis inferioris potest continere in se differentias superioris ordinis propter improportionem unius ad aliud. Unde si res naturalis, et supernaturalis ponuntur in eodem prædicamento, oportet quod illud genus seu prædicamentum abstrahat a naturali, et supernaturali, non autem sit determinate ordinis naturalis. Si autem non est ratio generica sed specifica, sequitur quod visio beata ex sua specie vel sit aliquid pure naturalis ordinis, et sic naturaliter conveniet creaturæ, nec indigebit lumine elevante contra id quod definit Concilium, vel sit partim naturalis ordinis, partim supernaturalis, quod repugnat, quia sic ex sua specie et substantia non erit illa visio simpliciter supernaturalis, imo nec unius speciei et essentiæ, quia ea, quæ sunt diversi ordinis unicam rationem formalem non possunt constituere, cum sint rationes diversi ordinis, et plusquam specie inter se differentes, et sic specifica, et determinata ratio formalis non potest ex utraque, constare. Cum ergo non possit aliqua potentia seu principium influere etiam partialiter, nisi sub aliqua ratione formali, quæ resplendeat in ipso effectu, si nihil vel genericum, vel specificum, vel quomodocumque pertinens ad prædicatum visionis invenitur quod sit ordinis naturalis, quia ut supponimus illa visio quoad substantiam

supernaturalis est, consequenter non potest constitui intellectus in ratione activitatis etiam partialis ad talem visionem, nisi per rationem aliquam elevatam, et supernaturalem: quidquid autem est præter lumen gloriæ ex parte intellectus formaliter supernaturale non est, neque elevatum, sed elevabile et naturalis ordinis, quod solum est in potentia obedientiali, non autem in potentia proportionata, et proxime influente etiam partialiter, sed tota naturalis operari debet ut elevata, non autem partialiter per activitatem naturalem, et partialiter per elevationem, sed totus ille actus est a lumine gloriæ ut a virtute proportionante, et elevante potentiam ad actum ita elevatum, et totus est a potentia intellectiva, ut a principio vitali elevabili, et capaci illius elevationis ad eliciendum actus vitales vitæ æternæ, non naturalis; hunc enim modum partialiter concurrendi perpetuo rejecit D. Thomas ut patet in III contra gent. cap. LXX, in fine, ubi inquit: « Quod non sit idem effectus causæ naturali, et divinæ attribuitur, quasi partim virtutis Deo, et partim a naturali agente fiat. »

VITALITAS, ET LIBERTAS ACTUUM SUPERNATURALIUM QUOMODO SIT A FORMA SUPERNATURALI.

XXI. Hoc est præcipuum, ac totum fundamentum oppositæ sententiæ, quia sine dubio actus isti supernaturales participant vitalitatem, et libertatem a potentiis, a quibus eliciuntur ratione activitatis earum naturalis. Ergo necesse est quod non sit tota ratio agendi forma supernaturalis ab extrinseco adveniens. Consequentia patet, quia a lumine gloriæ non potest provenire vitalitas intellectus, cum non sit principium intrinsecum, sed ab intrinse-

co proveniens: multo minus charitas potest esse principium libertatis, tum quia ab extrinseco venit, tum quia non importat indifferentiam, sed determinationem, habitu enim charitatis supernaturali non potest voluntas nisi amare: ergo ex vi charitatis non importat principium indifferentiæ, ergo neque est principium libertatis. Antecedens vero est certum, quia illa vis activa influens vitalitatem debet esse ab intrinseco, et radicata in ipsa substantia animæ, quæ est primum principium vitæ, ergo debet esse naturalis, ergo in quantum vitalis influere debet per principium et virtutem ordinis naturalis. Nec potest dici quod influit illa virtus ut elevata, vel quod solum præbet modum actus, scilicet vitaliter esse ab operante, et se movendo, ipsa vero substantiæ actus est a forma supernaturali. Nam contra est, quia illa elevatio nihil ad modum vitalitatis conducit, quia essentialiter vitalitas est a principio intrinseco, ergo quidquid ab extrinseco venit quantumcumque elevet, nihil vitalitatis confert, ergo tota vitalitas non reducitur in ipsam virtutem ut elevatam, sed ut est naturalitas activitatis, et in ipsa naturali animæ substantia fundata. Hæc autem vitalitas non est a virtute naturali solum ut dante modum, sed etiam substantiam actus, nam actus intelligendi differt ab actu voluntatis quoad substantiam, et non solum quoad modum, hanc autem rationem intellectionis, quæ generica est respectu visionis beatæ ab ipsa virtute potentiæ intellectivæ habet, ergo etiam naturalis virtus potentiæ dat substantiam actus, saltem partialiter.

XXII. Confirmatur, quia potius in sententia S. Thomæ in actibus virtutum, quibus convertimur ad Deum substantia est a libero arbitrio, vel potentia naturali, modus autem su-

pernaturalitatis a gratia, seu a forma supernaturali, ut deducitur ex his quæ docet in II, dist. V, q. II, art. I ad I, ubi inquit: « Quod quamvis liberum arbitrium de se possit in substantiam actus, non tamen in formam ejus, per quam meritorius est. » Est autem meritorius per gratiam. Ergo condistinguitur influxus liberi arbitrii in actum ab influxu gratiæ, quia influit in substantiam actus per se liberum arbitrium, per formam autem gratiæ influit in ipsum, ut est meritorius. Et similiter 2-2, qu. CLXXI, art. II ad III, distinguit de his quæ sunt quoad substantiam actus supernaturalia, ut facere miracula, et cognoscere occulta divinæ sapientiæ, et ad hæc non datur habituale donum, alia autem sunt supernaturalia, quantum admodum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, ut diligere Deum, et similia, ad quæ non datur habituale donum. Ergo necessario secundum D. Thomam fatendum est, quod potentia nostra influit quantum ad substantiam actus, licet modum habeat a forma supernaturali, et sic sunt distincti influxus.

XXIII. Respondetur esse certissimum actus istos habere vitalitatem, aut libertatem a principiis suis vitalibus intrinsecis, elevatis tamen et proportionatis per formam supernaturalem. Nam etiam in ratione vitalitatis elevatur vita illa, ut ipse intellectus vivat vita æterna, et non naturali. Et sic aliud est quod influat potentia naturalis in actum a se elicitum, aliud est quod habeat proportionem, et proximam rationem eliciendi illum actum a virtute activa ordinis naturæ etiam partialiter, sed tota proportio ad actum est ex virtute supernaturali, quia totus actus quoad substantiam supernaturalis est. Quam doctrinam optime tradit Cajetanus 2-2, q. CLXXI,



art. II, §. Ad primam objectionem, ubi dicit, quod aliud est actum cognitionis esse quoad substantiam actus ab intellectu nostro, et aliud est actum cognitionis excedere quoad substantiam actus facultatem naturalem intellectus nostri. Nam primum significat actum causari quoad substantiam actus a nostro intellectu, quod verificatur de intellectu nostro elevato per donum divinum. Secundum autem significat proportionem actus illius secundum substantiam, et naturalem facultatem ejus. Unde actus videndi Deum in patria est ab intellectu creato elevato tamen, quoad substantiam actus. Ita Cajetanus. Dicimus ergo quod ratio principii vitalis de se solum petit quod sit a principio intrinseco se movente, sed non petit, quod ratio formalis qua proxime proportionatur, et habilitatur ad aliquem actum sit a principio intrinseco, sed sufficit illam habere ab aliquo extrinseco elevante, et proportionante ad eliciendum actum vitalem vita supernaturali et æterna. Et hoc est quod aliqui dicunt ex Thomistis, quod intellectus ratione potentiae est actus radicaliter respectu visionis beatæ, et habet vitalitatem radicalem remotam; proximam autem, et formalem habet a lumine. Quod non est intelligendum de radice positiva, a qua dimanet virtus illa, sicut propriæ passionis dimanant ab essentia tamquam a radice. Hoc enim modo non potest virtus luminis gloriæ dimanare ab intellectu, sed intelligitur habere activitatem, et vitalitatem radicalem per modum potentiae, et radicis elevabilis, et capacis illius virtutis elevantis, per quam tamquam per virtutem proportionatam habilitatur et proportionatur ut agat.

XXIV. Sic ergo ad argumentum dicimus in forma quod actus supernaturales habent vitalitatem, et liber-

tatem a potentiis, distinguo; vitalitatem supernaturalizatam, et elevatam ad vivendum vita supernaturali, concedo; vitalitatem solum naturalem, et ex partiali influxu luminis redditam supernaturalem, nego. Nam etiam in quantum supernaturalis est ille actus debet procedere intrinsece a potentia, et vitaliter, et consequenter sub ratione vitæ elevatæ, non autem vitæ ut operantis per facultatem naturalem. Et ad probationem, quod vis activa influens vitalitatem debet esse in intrinseco, et radicata in ipsa substantia animæ concedimus, sed cum infertur quod debet esse naturalis, et influere per virtutem ordinis naturalis, distinguo; tamquam per rationem proximam, et proportionatam operandi, nego; tamquam per virtutem elevabilem, et proportionabilem, seu radicaliter vitalem modo explicato, concedo. Et ad replicam quod illa elevatio nihil conducit ad modum vitalitatis, cum non sit a principio intrinseco, eodem modo distinguo; nihil conducit ad vitalitatem ut elevatam; et supernaturalizatam nego; ut elevabilem, et præsuppositam ex parte animæ ad operandum vitaliter, concedo. Seu alio modo, nihil conducit quantum ad rationem proportionandi, et habilitandi proxime ipsam potentiam vitalem ad operandum, nego; nihil conducit quantum ad rationem constituendi ipsam potentiam in ratione principii secundum se vitalis concedo. Et sic vitalitas non solum dat modum, sed etiam substantiam actus, v. g. quod actus sit intellectio, vel sit volitio, etc. Sed hæc est ratio nimis communis, et abstrahens a vitalitate seu intellectio- ne, ut naturali, vel supernaturali. Unde non oportet quod influat ad illum actum vitalem supernaturalem partim per virtutem naturalem, partim per supernaturalem, sed to-

taliter et unice per virtutem elevatam, ita quod non sit duplex activitas proxima, et proportionata, una instituens unam partem actus, et alia aliam partem, sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet confert suam virtutem proximam, et proportionatam ad partem sibi correspondentem, licet non quilibet adæquatam, et sufficientem, sed est tantum unica virtus proportionata; ita quod ex intellectu, et lumine non sit concursus duplicis virtutis, quarum quælibet fit proportionata in sua partialitate, sed quarum una sit proportionabilis, seu elevabilis, et altera proportionans, et elevans.

XXV. Et in hoc totus punctus difficultatis volvitur, et tota differentia inter nos, et auctores oppositos, quod licet omnes fateamur concurrere duplicem virtutem ad actum visionis, tamen illi dicunt esse duplicem virtutem proportionatam, et proximam, unaquæque ad suam partialitatem actus. Nos dicimus non esse utramque proportionatam etiam partialiter, sed unam tantum esse proportionatam, et elevantem alteram solum proportionabilem, et elevabilem, quæ tamen vestita, et affecta virtute elevante, vere et propriæ influit tamquam principium, et radix illius influentiæ, quia de se habet naturam capacem influendi in actum superiorem, et excedentem vires proprias mediante vi proportionata elevante, non autem immediate per suam quatenus inferior est, et naturalis ordinis et manendo infra rationem illam naturalis ordinis, quia actus procedens nihil naturalitatis habet in sua quidditate et specie. Et est longe diversum de duobus portantibus lapidem, vel de aqua calefaciente per calorem superadditum, nam duo portantes lapidem ita se habent quod unusquisque confert virtutem suam proportionatam quidem et proximam ad

naturam actus movendi, non tamen adæquatam, et sufficientem. Unde aliud est virtutem esse adæquatam, aliud proportionatam, duo enim portantes lapidem proportionatam habent vim, quia non excedit natura illius actus proportionem, et ordinem agentium, sed adæquatam quilibet non habet, quia imperfecta est. Intellectus vero ad videndum Deum non solum habet virtutem imperfectam, et inadæquatam, sed etiam improportionatam, et tamquam alterius ordinis, et speciei, sicut diaphanum ad illuminandum non habet virtutem proportionatam etiam partialiter in vi diaphaneitatis, sed solum receptivam luminis per quod potest illuminare, et tota virtus illuminandi est a luce. Sed tamen est differentia ex alia parte, sicut et in aqua recipiente calorem, quod subjectum solum est sustentativum caloris, non vero habet potentiam aliquam etiam improportionatam et capacem, ut proportionetur per elevationem caloris, sed solum se habet ut quoddam inanime: intellectus autem est vis vitalis potens se movere proportionate, et proxime ad ea, quæ ordinis naturalis sunt, elevabiliter autem ad ea quæ supernaturalia. Et posita virtute elevante et proportionante, se movet per illam totaliter, non partim per illam et partim per aliam naturalis ordinis.

XXVI. Ad confirmationem respondetur quod liberum arbitrium ad Thomæ dicitur posse de se in substantiam actus potentia elevabili, et proportionanda per formam supernaturalem, non autem sine illa, de se enim solum potest ad genus actus, verbi gratia ad intellectionem vel volitionem abstrahendo ab eo quod naturale est, vel supernaturale, determinate vero ad substantiam supernaturalis actus non potest nisi secundum potentiam obedientia-